Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Legenda Aurea - Cod. Aug. perg. 256

Jacobus <de Voragine>

[S.l.], [14. Jahrh.]

De sancto Basilio

urn:nbn:de:bsz:31-66161

Visual Library

molam alligari et in pelago precipitari. Et quia
abierunt corpus suum non potuit in terra cel-
ari, in pelago amarius beluis devorari.
Naute quoque corpus eius in pelago defluentes sub-
mergunt. Sed ipsis nautis velocius littora pe-
tiit. Quod quedam matrona et quibusdam
aliis invenit Christo revelante et ab eis
honorifice sepelitur. De hoc mire dicit Augustinus.
Vincentius vincit in verbis, vincit in penis,
vincit in confessione, vincit in tribulatione,
vincit exustus, vincit submersus, vincit tortus,
vincit mortuus. Idem. Torquetur Vincentius
ut exerceatur, flagellatur ut erudiatur, tun-
ditur ut solidetur, exuritur ut purgetur. ¶
Ambrosius quoque in prefatione ait: Torquetur
Vincentius, tunditur, flagellatur, exuritur,
sed invictus pro sacro nomine non concutitur. plus
ardens igne zeli quam ferri. plus nectitur
timore dei quam seculi. plus voluit pla-
cere deo quam seculo. plus dilexit mori mun-
do quam domino. ¶ Augustinus. Ante oculos nostros ma-
gnum spectaculum constitutum est, videre
iniquum tortorem, torquentem martirem invictum, crudeli-
tatis, pietatis certamen. ¶ Prudentius.
Qui claruit tempore Theodosii senioris
qui cepit regnare anno domini ccclxxx-
vii. ipsum Daciano dixisse ait: Tormen-
ta, carcer, ungule, stridensque flammis la-
mina, atque ipsa penarum ultima mors
christianis ludus est. Tunc Dacianus: Vinctum re-
torquetis brachiis sursum ac deorsum exten-
dite, compago donec ossium divulsa mem-
bratim crepet [illegible] hiulcum
iecur retectum palpitet. Ridebat hec
miles dei manus cruentas palpitans
quod fixas non profundius intraret artus un-
gula. Cum esset in carcere angelus ad
eum venit: Surge inclite martir, sur-
ge securus, et almis cetibus noster
sodalis adde. O miles invictissime for-
tissimorum fortior. Jam te ipsa seva tem-
pora tormenta victorem tremunt. Excla-
mat Prudentius. Tu solus orbis inclite
solus bravium duplicis palmam tulis-
ti, tu duas simul parasti laureas.

Basilius De sco Basilio [illegible]

Basilius venerabilis episcopus et doctor precipu-
us extitit, cuius sanctitas cuidam heremite
nomine Effrem in visu monstrata est. Cum
enim idem Effrem in extasi positus esset, vi-
dit columpnam igneam cuius caput usque ad
celum pertingebat. Et audivit vocem de-
super dicentem: Talis est magnus Basilius
qualis hec columpna ignea quam cernis. Ve-
niens igitur in civitatem in die Epiphanie
ut tantum virum videre posset, et vidit eum
stola candida indutum cum clericis vene-
rabiliter procedentem, ait intra se: Ut vi-
deo in vacuum laboravi. Iste enim cum in ta-
li honore sit positus, nequaquam potest esse
quemadmodum vidi. Nos enim qui portavimus
pondus diei et estus nichil tale con-
secuti sumus, et hic cum in tali honore
et constipatione positus sit columpna
ignis est? Miror ista. Basilius igitur in spiritu
videns fecit eum ad se introduci. Cum
introductus esset, vidit linguam igneam
per os eius loquentem et ait Effrem: Vere
magnus Basilius, vere spiritus sanctus loquitur per
os eius. Deprecorque Effrem ait: Obsecro do-
mine ut impetres quod grece loquar. Cui Ba-
silius: Rem difficilem postulasti. Pro eo tamen
oravit, et continuo grece loqui cepit.
¶ Quidam alius heremita videns Basilium ta-
lem in pontificali habitu procedentem, eum de-
spexit, iudicans in corde suo quod in tali pom-
pa plurimum delectaretur. Et ecce facta est vox
ad eum dicens: Tu amplius delectaris in
palpando caudam catte tue quam delectetur
Basilius in apparatu suo. ¶ Valens imperator

fautor arrianorum ecclesiam quandam a catholicis abstulit et arrianis dedit. Ad quem accedens Basilius ait: Imperator scriptum est: Honor regis iudicium diligit. Et iterum: Iudicium regis iustitia. Et cur ergo tu imperasti ut catholici de ecclesia eicerentur et arriani intrarent? Cui imperator: Iam ad contumelias redisti o Basili. Non decet te. Et ille: Decet me pro iustitia etiam mori. Tunc Demostenes praefectus epulum imperatoris fautor arrianorum et loquens pro eis fecit barbarismum. Cui ait Basilius: Tuum est de pulmentariis regis cogitare non dogmata divina decoquere. Qui mox confusus tacuit. Dixit imperator Basilio: Vade et iudica inter eos sed non secundum immodicum amorem populi. Abiens ergo dixit catholicis et arrianis ut fores ecclesiae clauderentur et utriusque partis munirentur et ad quorum orationes aperirentur sua esset.

¶ Quod cum omnibus placuisset, orantibus arrianis tribus diebus et noctibus et venientibus ad fores non sunt apertae. Tunc Basilius processione ordinata venit ad ecclesiam et facta oratione levi ictu de baculo pastorali fores ecclesiae tetigit dicens: Tollite portas principes vestras et elevamini et cetera. Et continuo sunt apertae et intrantes deo gratias reddiderunt et reddita est ecclesia catholicis.

¶ Fecit autem imperator promitti multa Basilio ut in hystoria tripartita legitur si sibi consentiret. Et ille: Pueris ista conveniunt. Nam qui divinis saginantur eloquiis corrumpi de divinis dogmatibus nec unam syllabam patiuntur. Tunc imperator indignatus ut ibidem dicitur dum de eius exilio vellet sententiam scribere primo et secundo et tertio calamus fractus est. Deinde tremor magnus eius manum invasit. Unde indignatus cartam fregit.

¶ Vir quidam venerabilis nomine Heradius filiam unicam habebat quam consecrare domino disponebat. Sed dyabolus humani generis inimicus hoc advertens, quendam servum praedicti Heradii in amorem puellae plurimum inflammavit. Qui cum impossibile cerneret ut ipse qui servus erat in amplexum tam nobilis puellae accedere posset, ad unum de maleficis accessit promittens ei multam pecuniae quantitatem si eum adiuvare vellet. Cui dixit maleficus: Ego hoc agere non possum, sed si vis mittam te ad dyabolum dominum meum et si feceris quod ipse tibi dixerit tunc desiderium obtinebis. Et dixit iuvenis: Quaecumque dixeris faciam. Ille igitur maleficus epistolam ad dyabolum fecit et eam per praedictum iuvenem misit ibidem continentem: Quoniam quidem domine me oportet sollicite et festinanter quoscumque a religione christianorum abstrahere et tuae adducere voluntati ut pars tua cotidie multiplicetur, misi tibi hunc iuvenem cupiditate in talem puellam exarsum et postulo ut suum desiderium exsequatur ut et in isto glorier et alios de cetero fideliter valeam aggregare. Et dedit ei epistolam dicens: Vade et tali hora noctis sta super monumentum gentilis et ibidem daemones acclama et hanc cartam in aera exalta et statim aderunt. Qui vadens daemones invocabat et cartam per aera eiciebat. Et ecce adest princeps tenebrarum vallatus multitudine daemoniorum. Cumque epistolam perlegisset ait ad iuvenem: Credis in me ut tuam compleam voluntatem? Qui ait: Credo domine. Cui dyabolus: Et abnegas christum tuum? Qui ait: Abnego. Dixit ei dyabolus: Perfidi vos estis christiani quia cum mei opus habetis ad

me venitis. Quia autem verum desiderium as-
secuti estis, statim me negatis et ad
Christum vestrum acceditis. Ille autem est clemen-
tissimus et suscipit vos. Sed si vis ut tuam
compleam voluntatem, fac mihi manu tua
scriptum in quo confitearis te abrenunci-
are Christo et baptismo et christiane professioni et
me esse servum et mecum in iudicio condemp-
nandum. Qui statim manu propria scrip-
tum fecit qualiter Christo abrenunciaret. Con-
tinuo igitur dyabolus accersivit spiritus qui erant
super fornicationem, iubens eis ut ad
predictam puellam accederent et cor eius
in amore iuvenis inflammarent. Qui
accedentes cor eius adeo succenderunt
ut puella se in terram proiceret et ad patrem
lamentabiliter clamaret: Miserere mi
pater, miserere, quia dire torqueor propter amo-
rem talis pueri nostri. Miserere visceribus
tuis et paternum in amore ostende et
puero quem amo et pro quo crucior me
coniunge. Sin autem post modicum me mor-
tuam videbis et pro me in die iudicii
rationem reddes. Pater autem eiulans dice-
bat: Heu me misero, quid contigit mise-
re filie mee? Quis meum thesaurum fura-
tus est? Quis dulce lumen oculorum meorum
extinxit? Ego te volebam celesti spon-
so coniungere et per te salvari puta-
bam, et tu in amore lascivie insanis.
Sine filia ut te sicut disposui Deo con-
iungam, ne ducas senectutem meam cum do-
lore ad inferos. Illa autem clamabat
dicens: Pater mi, aut cito desiderium meum
comple aut mortuam post modicum me
videbis. Cum autem illa amarissime fle-
ret et quasi insaniret, pater in magna de-
solatione positus et amicorum consili-
o deceptus suam voluntatem complevit
et eam puero in uxorem dedit ac univer-
sam substantiam eis tribuit dicens: Vade
filia vere misera. Cum igitur simul permanerent,
iuvenis ille ecclesiam non introibat nec
sibi crucis signaculum faciebat nec
Deo se recommendabat. Unde de hoc
a multis notatus est, qui uxori sue
dixerunt: Scis quod vir tuus quem tibi ele-
gisti christianus non est nec ecclesiam ingreditur?
Quod illa audiens vehementer expavit
et humo se prosternens unguibus se ipsam
discerpere cepit et pectus suum tundere
ac dicere: Heu mihi misere, cur nata
sum et nata continuo rapta non fui? Cum-
que viro suo que audierat retulisset et
ille nequaquam sic esse assereret, homines
sibi quod ipsa audierat affirmantes,
illa ait: Si vis ut credam, cras ego et tu
ecclesiam simul ingrediamur. Videns ille
quod latere non posset, narravit ei totum
ordinem rei geste. Quod illa audiens
vehementer ingemuit et ad beatum Ba-
silium properavit eique omnia que viro suo et
que sibi contigerant enarravit. Basilius
autem puerum vocans et omnia ab eo audiens
dixit ei: Vis fili reverti ad Dominum? Qui
ait: Utique domine, sed non valeo, quia dyabo-
lo me professus sum et Christum abnegavi et ab-
negationis mee scriptum feci et dyabolo
ipsum dedi. Cui Basilius: Non sit tibi
cure. Benignus est enim Dominus et te penitentem
suscipiet. Et continuo apprehendens
puerum signum crucis in eius fronte fecit
et ipsum per tres dies reclusit. Post eum
visitavit et dixit: Quomodo habes fili? Qui ait:
In magna sum defectione domine. Nec suf-
ferre clamores eorum et terrores seu la-
pidationes. Tenentes enim manu scrip-
tum meum clamant contra me dicentes:
Tu venisti ad nos et non nos ad te. Et
dixit Basilius: Noli timere fili tantummodo crede

et dans ei modicum escae faciensque sig-
num sanctae crucis iterum eum reclusit et pro eo
oravit. Post aliquot dies eum visitavit
et dixit: Quomodo habes fili? Qui ait: Lon-
ge clamores eorum audio sed eos non
video. Et dans ei iterum escam et sig-
nans et claudens hostium et pro eo ora-
vit. Quadragesima quoque die rediens
dixit: Quomodo habes? Respondit: Bene habeo
sancte dei. Vidi enim in visu te hodie
pugnantem pro me et dyabolum vincentem.
Post hec eum educens omnem clerum et
religiosos et populum convocavit et totos
pro eo orare ammonuit, tenensque
manum pueri ducebat eum ad ecclesiam.
Et ecce dyabolus cum multitudine demo-
num ad eum venit et invisibiliter apprehen-
dens puerum conabatur eum rapere de
manu eius. Et cepit clamare puer: Sancte
dei adiuva me. Et tanta eum improbi-
tatis instantia aggressus est ut etiam
sanctum impelleret trahens puerum. Cui
ait ad eum: Improbissime, non sufficit
tibi perditio tua nisi et dei temptes pla-
sma? Dyabolus autem dixit ad eum multis au-
dientibus: Preiudicas mihi o Basili. Et
omnes clamaverunt: Kyrieleison. Dixitque ad
eum Basilius: Increpet te dominus dyabo-
le. Qui ait: Preiudicas mihi Basili.
Non abii ad eum sed ipse venit ad
me, abnegavit Christum suum et pro-
fessus est mihi. Ecce scriptum eius in ma-
nu teneo. Cui ait: Non cessabimus
orare donec reddas scriptum. Et oran-
te Basilio et tenente in celum manus
ecce carta patenter delata ab omnibus
visa venit et imposita est in ma-
nus Basilii. Quam ille suscipiens dix-
it puero: Cognoscis has litteras frater?
Et ille: Etiam domine, manu mea scrip-
te sunt. Et scindens Basilius scriptum duxit
eum ad ecclesiam et dignum fecit eum minis-
terio et bene instruens et regulam dans
reddidit mulieri. Mulier quedam peccata
multa habens et ea in carta scribens in
fine quoddam grave scripsit et scriptum ipsum
beato Basilio tradidit rogans ut pro ea
oraret et suis orationibus peccata ipsa dele-
ret. Qui cum orasset et mulier cartam ap-
eruisset, omnia peccata preter illud grave deleta invenit.
Que ait ad Basilium: Miserere mei ser-
ve dei et pro hoc mihi indulgentiam impe-
tra sicut pro aliis impetrasti. Qui ait ad il-
lam: Recede a me mulier quia homo peccator
sum indigens indulgentia sicut et tu.
Cum autem illa instaret dixit ei: Vade
ad sanctum virum Effrem et ille quod postu-
las poterit impetrare. Que cum abiisset ad
sanctum virum Effrem et causam ad eum a beato Ba-
silio missa sit intimasset, ille ait: Re-
cede quia homo peccator sum ego, sed redi fi-
lia ad beatum Basilium et qui tibi pro ceteris im-
petravit pro isto quoque impetrare va-
lebit. Festina cito ut eum viventem
invenias. Que cum in civitatem venisset
et ecce Basilius ad tumulum ferebatur.
Illa autem post eum clamare cepit et
dicere: Videat deus et iudicet inter me et
te quia valeres placare deum pro me et ad
alium misisti me. Et proiecit cartam
super feretrum et post modicum illam recepit
eamque aperiens eam penitus peccatum
deletum invenit. Sicque ipsa et omnes qui
aderant deo immensas gratias reddiderunt.
Cum autem quam vir dei migraturus esset et
positus in infirmitate qua mortuus
est, quendam iudeum nomine Ioseph medicina-
li arte valde peritum quem vir dei plu-
rimum diligebat eo quod se eum conversu-
rum ad fidem previdebat, ad se quoque ei

opera indigeret vocavit. Ille vero pulsum eius tangens et exitium mortis imminere cognoscens dixit familie: Que ad sepulturam sunt necessaria preparate, quia continuo morietur. Quod Basilius audiens dixit: Nescis quid dicas. Cui Ioseph: Crede mihi domine quia sol cum sole occidit hodie, id est tu cum sole occides hodie. Cui dixit Basilius: Quid dices si non moriar hodie? Cui Ioseph: Non est possibile tibi. Et Basilius: Et si in crastino ad horam sextam supervixero quid facies? Et Ioseph: Si ad illam horam supervixeris, ego moriar. Et Basilius: Et moriaris peccato, vivas autem Christo. Et ille: Scio quid dicas, et si usque ad illam horam supervixeris faciam que hortaris. Tunc beatus Basilius, licet secundum naturam moriturus esset, illico a domino tamen moras in ducias impetravit et usque in crastinum in hora nona supervixit. Quod Ioseph videns et stupens in Christum credidit. Basilius autem virtute animi imbecillitatem corporis superans de lectulo surrexit et ecclesiam ingrediens suis propriis manibus eum baptizavit. Postea vero ad lectulum suum rediens statim spiritum deo reddidit feliciter. Floruit autem circa annos domini CCCLXX.

De sancto Iohanne elemosinario

elymon denoio

Iohannes elemosinarius Alexandrinus patriarcha quadam nocte in oratione positus vidit quandam puellam pulcherrimam sibi assistentem et coronam olive in capite habentem. Quam ille videns nimium stupefactus que esset inquisivit. Et illa: Ego sum Maria que dei filium de celo adduxi. Me sponsam accipe et bene tibi erit. Intelligens quod per olivam misericordiam designari, ab illa die factus est sic misericors ut elemosinarius id est elemosinarius vocaretur. Pauperes autem semper suos dominos appellabat, et inde hospitalarii hodie usque pauperes vocant suos dominos. Omnes quoque suos famulos convocavit eisque dixit: Circuite per totam civitatem et conscribite mihi usque ad unum omnes dominos meos. Illis vero non intelligentibus dixit: Quos vos egenos et mendicos vocatis, illos ego dominos et auxiliatores predico. Isti enim vere nobis auxiliari et celeste regnum donare poterunt. Volens homines ad elemosinam invitare narrare consueverat quod pauperes semel se ad solem calefacientes ceperunt invicem de elemosinatoribus conferre et bonos collaudare et malos vituperare. Erat quidam theolonarius nomine Petrus dives valde et potens, sed nimis pauperibus immisericors, qui ad domum suam accedentes cum indignatione nimia repellebat. Cum igitur nullus eorum inveniretur qui in domo sua elemosinam recepisset, unus illorum dixit: Quid vultis dare mihi si ego hodie ab eo elemosinam accipiam? Et facientibus cum eo pactum ad domum eius venit et elemosinam postulavit. At ille domum revertens et pauperem pre foribus videns, cum mancipium eius panes siliginis in domum referret, ille lapidem non inveniens panem unum siliginis arripuit et cum furore in eum proiecit. Quem ille protinus accipiens pauper ad socios rediit et quod de manu eius elemosinam accepit indicavit. Post duos dies infirmatus ad mortem vidit se ante iudicium stare et mauros ac demones quosdam super stateram eius mala appendere, ex altera autem parte stare quosdam dealbatos tristes. Stabant eo quod nichil quod apponerent invenire valebant. Tunc unus eorum dixit: Vere nichil habemus nisi unum panem siliginis quem ante duos dies coactus ei dedit. Quem dum

De sancto Iohanne elemosinario.